

anima sensitiva et voluntas in intellectiva, oportet ut appetitus sensitivus subiciatur voluntati. Quarto declaratur in politicis, quia totus ordo armigerorum secundum se est subiectus toti ordini ^{a)} militum, ideo oportet, ut princeps armigerorum sit subiectus principi militum. Et ista ^{b)} regula sic declarata accipitur minor sub ea. Sed principatus portionis inferioris anime est subiectus principatui portionis superioris, per quam regitur secundum Augustinum ubi supra. Ergo princeps temporalium, qui principatur in portione inferiori secundum premissa, debet subesse principi spiritualium, qui principatur in superiori.

Tertia via est cause formalis, per quam formatur et dirigitur princeps in regnando. Ex qua sic arguitur: quandocumque aliquae due leges ita se habent, quod una subicitur alteri, princeps qui regit secundum legem inferiorem, debet subici principi, qui regit secundum legem superiorem, quia ^{c)} sicut regula ad regulam, sic ^{d)} regulatum ad regulatum vel ^{e)} ad regulans ^{e)}. Set princeps spiritualium regit suum principatum secundum legem divinam, si bonus est, et princeps temporalium regit secundum legem humanam, ut patet in civilibus. Ergo sicut lex humana est ^{f)} subiecta legi divine secundum beatum Augustinum in libro de civitate Dei ¹⁹⁾, ita princeps temporalium debet esse subiectus principi spiritualium. Ista ratio confirmatur primo, quia prudentia politica regulatur a prudentia ierarchica, quae est fides, et ideo oportet, ut princeps qui regulatur per illam, subiciatur illi, qui regulatur per istam. Secundo quia iusticia legalis politica non est recta, nisi sequatur iusticiam legalem divinam, et ideo princeps talis iusticie rectus ^{g)} non ^{h)} est ^{h)}, nisi sequatur principem secundum aliam iusticiam regnantem. Item princeps spiritualium principatur secundum virtutes theologicas, set princeps temporalium secundum virtutes politicas; ideoque sicut virtutes politice sunt informes ⁱ⁾, nisi sint subiecte virtutibus theologicis, ita principatus temporalium est informis, nisi principi spiritualium sit subiectus. Et ista omnia confirmantur, quia Deuteronomio 17. dicitur, quod rex debebat accipere legem a sacerdotibus, ut secundum eam regularetur ²⁰⁾.

^{a)} statt toti ordini: principi P 1. ^{b)} in ista reg. P 1. ^{c)} fehlt P 2.
^{d)} ita sic P 2. ^{e)} vel — reg. fehlt P 2. ^{f)} fehlt P 2. ^{g)} regulatus P 1.
^{h)} fehlt P 2. ⁱ⁾ informantes P 2.

¹⁹⁾ Die Stelle war nicht auszumachen. Der Gedanke begegnet aber häufig bei Augustin, so De libero arbitrio 1, 6, 15 Migne 32, 1229: in illa temporali (lege) nihil esse iustum atque legitimum, quod non ex hac eterna sibi homines derivarint; vgl. auch De trin. 14, 15 gegen Ende Migne 42, 1052 oder De vera religione c. 31, Migne 34, 148.

²⁰⁾ Deut. 17, 8 ff.